

ritiori cuique satis apparebit, qui grammatica ductrice primos ad scriptores Romanos Graecosque aditus patefieri meminerit. Qui vero auctores Romanos rerum sermonisque et ubertate et elegantia recentiori cuivis stili latini periculo anteponendos censent, iis, justis quidem verique studiosis arbitris, haud invitus assentior, sed eosdem concedere velim, puerum, hoc opusculum tractantem, in amoenissimis e varietate rerum, magnam partem insolitarum etiam et mirabilium, deliciis simulque in tanta rarioris reconditorisque latinitatis copia versari, quantam in paris mensurae libro nullus neque rei rusticae, neque tandem epistolarum et quaestionum academicarum scriptor offerre possit.

Latinitatem meam non ad simplicitatem Caesaris, non ad elegantiam Ciceronis, neque etiam ad concinnitatem Taciti accedere, facile concedo; assidua tamen pedestris orationis scriptorum poetarumque exemplaria manu versavi, ex eorumque fontibus, quantum potui et licuit, in hosce hortulos meos deri-